Rozprawy do panowania Jana Kazimierza króla polskiego odnoszące się

Od Bartynow. za 5 zł.

Carolus Gustavus 17 r) S. R. M. Sueciae binae literae, priores ad S. R. M. Christ. et posteriores ad Gen. Ordines foed. Belgii, contra causas expeditionis in Zelandiam contra reg. Daniae. b. m. i r. (k. n. l. 4)

18 s) Resurrectio Poloniae auxilio aquilae. b. m. 1658. (k. n. l. 2)

Paulli Jacob Henrick 19 t) Epistola amici ad amicum de causis renascentium dissidiorum Sueco-Danicorum. Hamburgi 1658. (str. 10)

20 u) Brevis discussio querelarum, quae per regis christ. legatos et internuntios contra augustiss. Imp. Ferdinandum III. propositae sunt. b. m. 1657. (str. 20)

Frischmann Johann 21 v) Labores electorii sive solennia electionis et consecrationis. b. m. 1658. (str. 30)

22 y) S. R. M. Sueciae commissariorum responsum ad literas legatorum electoralium Brandeburgicorum. b. m. 1659. (k. n. l. 24)

Frischmann Johann 23. z) Censura censurae in collegium electorale amicae. b. m. 1658. (str. 44)

24 aa) Biorenklou Math., Memoriale ad eminentiss. sereniss. S. R. I. electores. b. m. 1658. (str. 32)

25 bb) Peyrer Isa. Epistola ad Philotimum, qua exponit rationes propter quas ejuraverit sectam Calvini et librum de Praeadamitis quem ediderat. Francofurti 1658. (str. 36)

26 cc) Retz de Joan. Franc. Paul. de Gondi Omnibus episcopis, presbyteris et universis filiis ecclesiae. b. m. 1660. (str. 28)

Frischmann Johann 27 dd) Animorum in Europa et vicina Asia motus de Suecici belli motu in Polonia. Upsaliae 1656. (str. 75)

28 ee) Gabriis Luc. de. Injustitia armorum Suecicorum in Polonos responsione apologetica ad epist. Cyriaci Thrasymachi ad Andr. Nicanorem data, nec non ad brevem et preliminarem enumerationem causarum, ob quas Carolus Gustavus R. Suec. coactus est Reg. Pol. bello adoriri. b. m. 1657. (str. 60)

29. ff) Elogium funebre Ser. Caroli Gustavi R. Suec. Gothenburgi in Suecia Februario mense a. 1660 extincti. b. m. i r. (k. n. 14)

30. gg) Epitaphium Regni Daniae agonizantis, eiusque inopinata convalescentia et generosa resurrectio ex tumulo. b. m. 1660. (k. n. l. 4)

Rapp Christoph 31 hh) Homo politicus auctore Pacifico a Lapide. Cosmopoli 1664. (str. 30)

32 ii) Stetget Harip. Conjectio de futuro Romanorum rege promovendo in imperatorem. b. m. 1658. (str. 22)

Frischmann Johann 33 kk) Collegium reliquorum Imp. deputatorum ad Collegium electorale de praesenti statu Imp., imperatore eligendo, scribenda lege, annexis aliis. b. m. 1657. (str. 97)

34 ll) Responsio ad duo scripta Danica, quorum alterum sub

titulo Juris fecialis armatae Daniae, alterum sub nomine Manifesti exiit. Francofurti 1658. (str. 39)

35 mm) Epistola equitis Romani de eligendo rege Romanorum b. m. 1658. (str. 16)

36 nn) Brevis informatio et demonstratio, quam injuriosis et calumniosis persuasionibus feliciss. record. Imp. quondam Ferdinandum III. ejusq. filium Ser. Hung. et Boh. Reg. Leopoldum ablegatus Reg. Suec. coram electoribus et statibus imperii emisso in publ. libello accusatorio ruptae pacis insimulare conatus fuerit. b. m. 1658. (k. n. l. 15)

37 oo) Scher Mart. Vota Germaniae intranti Austriam obvia Leopoldo. b. m. i r. (k. n. l. 4)

38 pp) Biörenklou Math. Memoriale novum in puncto pacis et securitatis publ. quod nomine S. R. M. Sueciae d. 4 Maii a. 1658 exhibitum est S. Rom. Imp. collegio electorali. Francofurti 1658. (str. 7)

39. rr) Delirus prodromus in viam reductus. b. m. i r. (str. 6)

Frischmañ Johañ 40 ss) Delirus prodromus. b. m. 1658. (str. 14)

Schultz Peter 41 tt) Negeschius Petr. Comparatio inter Claudium Tiberium princ. et Olivarium Cromwellium protectorem. b. m. 1657. (str. 28)

Frischmañ Johañ 42 uu) Classicum belli christiani ad christiani principes omnis adversus christiani nominis hostes Ottomanidas. b. m. 1651. (str. 37)

43, vv) Disjectio rejecta sive iterata et constans querelarum Gallicarum discussio. b. m. i r. (str. 22)

Frischmañ Johañ 44, yy) Responsum ad nuperam illam admonitionem Gallico juxta ac Germanico stilo adversus sanctius Christianiss. Regis consilium publicatam ex causa Mardici Anglis belli contra regem catholicum sociis cessi. b. m. 1658. (str. 32) sk. 5. —

Exp. dobrze zachowany tego zbioru pism ulotnych do panowania Jana Kazimierza odnoszących się. Oprawa z wyciskami i klamrami.

1773. Pękalski Petr. De Petri militis per S. Stanislaum epis. Crac. resuscitatione. Cracoviae 1826. 8vo (k. n. 2, str. 23) br. —

1774. Peterek Jan. Wykład systematyczny zarazy bydlęcéj, przez J. N. Kurowski. Warszawa 1833. 8vo (str. 108, tabl. 1) br. —

1775. Petricius Joan. Innoc. Historia rerum in Polonia gestarum anno 1620. Cracoviae b. r. 4to (k. n. 3, str. 77)

b) Princeps Polonus. Cracoviae 1633. (str. 109) psk. 10. —

1776. — Palaestra oratoria sive Imitatio Ciceronis. Cracoviae 162[illegible] 4to (k. n. 50) br. 3. —

1777. Piasecki Fel. Wróżka, dramat. Kraków 1861. 8vo (str. [illegible]) br. —

1778. — Jac. Mythologia Aeneidum P. Virgilii Maronis. Cracoviae 1635. 4to (k. n. 8) br. — 5

1754. Paradoxa koronne publica i privatim potrzebne szlachcicowi polskiemu, napisane r. 1603. Kraków 1853. 8vo (str. XXI k. n. 1, str. 152, k. n. 2) br. — 25

1755. Paritius Christ. Frid. Commentatio brevis ex historia literaria de quibusdam Silesiis eruditis in Polonia muneribus functis. Cracoviae 1816. 4to (str. 24) br. — 40

1756. Parkossius Jac. Antiquissimus de orthographia polonica libellus. Posnaniae 1830. 12mo (str. 99) br. — 50

1757. Parthenay v. A. Geschichte von Pohlen unter der Regierung August II. Mietau 1772. 8vo 2 Ty (I. str. XIV i 508; II. str. 640) p. 2. —

1758. — Histoire de Pologne sous le regne d'Auguste II. La Haye 1733. 8vo 2 Ty (I. str. XXIV i 256; II. str. X i 256) 2. —

1759. Paschacy Andr. Sig. Plausus laetitiae publicae ad triumphalem post victorias reditum serenis. ac invictis. princ. Joannis III. reg. Polon. etc. expressus. Cracoviae 1683. fol. (k. n. 14) br. — 50

1760. Pasternak K. F. Wielki świat małego miasteczka. Wilno 1832. 8vo T. II. (str. 214) br. — 25

1761. Pastorius Joach. Bellum scythico cosacicum etc. Dantisci 1652. 4to (k. n. 8, str. 269, k. n. 1) p. 7. —

1762. — Florus Polonicus, seu Polonicae Historiae epitome nova. Lugd. Batavor. 1641. 16mo (str. 215, k. n. 16) br. 1. —
Brak tytułu, dedykacyi i przedmowy kart 7.

1763. — dtto. Gedani et Francoforti 1679. 16mo (k. n. 22, str. 851, k. n. 20) psk. 2. —

1764. Paszkowski Franc. Mowa miana przy założeniu podstawy mogiły na pomnik Tadeuszowi Kościuszce 1820 r. Kraków b. r. 8vo (str. 12) br. — 25

1765. Paterkula K. Welleja Historia. Warszawa 1830. 8vo (k. n. 1, str. 276) psk. — 50

1766. Pauli Żeg. Pamiętniki do życia i sprawy Samuela i Krzysztofa Zborowskich. Lwów 1846. 8vo (str. XI i 215) br. 1. —

1767. — Pamiętniki o wyprawie chocimskiéj, z rękopismów i druków mniéj znanych. Kraków 1853. 8vo (str. XI i 184, k. n. 1) br. 1. —

1772. Pax Polono-Svecica, per deputatos ad id sereniss. ac potentiss. princip. Poloniae, Sveciae Regum legatos conecta Olivae 1660. 4to (str. 22)

2. *b)* Pax Germano-Svecica etc. Viennae 1648. (str. 84)

3. *c)* Wolphius Joh. Pannonia perrorata panegyrice. b. m. 1652. (k. n. l. 10)

4. *d)* Rewa de Petr. De sacra corona Regni Hungariae. Viennae 1652. (str. 96)

5. *e)* Copia literarum cujusdem magnae dignationis Poloni Dn. Przimsky ad fratrem suum Dn. Christ. Przimsky Casell. Culm., in quibus amore patriae suae ductus explicat, quid sentiat de tractatu Polonorum cum Austriacis. Cusini 1657. (str. 11)

6. *f)* Biörenklou Mat. Memoriale iteratum in puncto pacis et securitatis publicae. Francofurti 1658. (str. 12)

7. *g)* Statera veritatis ad quam responsum Gallicum. b. m. 1658. (str. 27)

Frischmann Johann 8 *h)* Statera veritatem transgressa subversa. b. m. 1658. (str. 19)

9 *i)* Circa pacem religiosam ficta veraque propositio in Epist. ad D. Baronem. b. m. 1661. (k. n. l. 10)

10 *k)* Querelae universi cleri in Majori Polonia et Dioec. Posnan. super barbara Austriaci militis insolentia, in Ord. Eccl. et Christ. patrimonium exercita. Posnaniae 1658. (str. 4)

11 *l)* Olszowski Andr. Expositiones coram eminentis. D. Elect. Moguntin. b. m. 1658. (k. n. l. 2)

12 *m)* Olszowski Andr. Memoriale nomine S. R. M. Poloniae et Suec. ad S. E. Illustr. S. R. Imp. Electores, Principes et Ordines. b. m. 1658. (str. 4)

Frischmann Johann 13. *n)* Moguntini labores electorales, praevii et electorii. b. m. 1657. (str. 45)

14. *o)* Grandmont Ant. et H. de Lionne Memorialia bina, primum ad deputationem statuum ord., posterius ad collegium elect. directa. Francofurti 1658. (str. 15)

15 *p)* Disjectio brevis illius Gallicarum querelarum discussionis. b. m. 1658. (str. 16)

16. *q)* Pacificatio Ratisbonensis inter S. C. Maj. et Regem Franciae. b. m. i r. (k. n. l. 8)

niss. ac poen-
gatos confecta

(str. 84)
gyrice. b. m.

i Hungariae.

is Poloni In.
asky Castll.
explicat, qid
cis. Custini

ncto pacis et
)
licum. b. n.

. m. 1658.

io in Epis.

Dioec. P-
tia, in Or.
niae 165.

is. D. Elec.

M. Polonia
, Principe.

electorii. b

bina, pri
d collegium

discussio-

et Regem

LABORES ELECTORII

SIVE

SOLENNIA ELECTIONIS

ET

CONSECRATIONIS.

M. DC. LVIII.

Ordo Electoriorum.

I. *Solennium in omni acta necessitas.*
II. *Precum in Electorio.*
III. *Iuramenti electorii: ac prima Moguntini ad EE. oratio.*
IV. *Notariorum in eodem actu; & altera Moguntini ad eos oratio*
V. *Relatio Moguntini tertia ad EE. in sacrario de pacta Capitulatione, jure majorum servando suffragiorum; quartà eiusdem ad Notarios.*
VI. *Virtutum idea Idonei eligendi.*
VII. *Modus electionis in sacrario:*
VIII. *Electionis coram Notariis expositio: quinta Moguntini oratio.*
IX. *Electorum electo dictæ gratulationes; sexta Moguntini oratio ac publication sacrario Electi Imperatoris.*
X. *Iuramentum eiusdem Electi, ac publica in æde D. B. renunciatio.*
XI. *Iuramentum Legatorum absentis Electi, & ad absentem Electum Electorum literæ.*
XII. *Solennia Coronationis.*

*

Electoralium finis inscriptionum.

I.

Perviget Moguntinus *laboribus, honoribus,*
Ipsis nunc Electorijs,
Omni in Electione legitimâ solitis, & inolitis more diutino,
Sapiente traditis vetustate,
Ratâ
Ratum demum fore actum Electorium,
Solennibus cærimoniarum celebratum officijs, ritibus,
Quîs sine nec integrum, nec validum, nec ritum, irritum.
Solennia
Actibus quibusdam peculiares ex jure civili effectus,
Electorijs conspicuas ex jure publico notas,
Quin addunt vires etiam.
Hi ut sint solennes,
Ex jure A.B. gerundi potissimum ab eo,
Qui primas in Electorali habet collegio:
Et *congruentibus quidem institutis.*
Quæ solito nunc exsequi stylo ex fidei filo volo.
Cives Imperii adeste, linguisq; favere.

II.

Benè ac sapienter A.B. more majorum instituit,
Vt rerum agendarum, ita Eligendi initium, à precationibus capere;
Quod nihil ritè, nihilq; *providenter homines auspicarentur,*
Sine DEI immortalis ope, consilio, honore.
Secus,
Electionem videri merè humanam actionem,
Forte casuq; rectores terris, non numine dari.
Qui mos PP.EE. tanto magis usurpandus colendusq; est,
Quando Imperio Imperatorem, Paci conservatorem, Patriæ Patrem,
Inter aras & altaria, eò loci,
Quem Deus tàm manifestus ac præsens, quam cœlum & sidera insidet,
Reperire, eligere, ac quasi divinitus constituere,

 Evitan-

Enituntur.
Mos tanto certior, quanto sanctior.
Sine Numinis irreverentia, Electionis irreligione,
Non mutandus,
Qui per longa fuit custoditus secula.
Notâ Locrorum lege;
VETERA SERVATO INSTITUTA.
Itaque
Pactâ Electionis die,
PP. EE. Romanum coeuntes in conclave,
Inde
Insignia induti Electoralia procedunt ad ædem D. B.
Ordine quisq; suo,
Moguntinus, Trevir, Coloniensis, Bohemiæ Rex,
Quatuor ponè seculares reliqui,
Suo cuique Electorali acinace prælato,
Non evaginato.
Ipsâ in æde,
Suâ quisq, ex utroque altaris latere sellâ,
Sessum accedit
Dextrorsum Moguntinus, Bohemus, Bavarus,
Sinistrorsum Coloniensis Saxo, Brandenburgicus, Palatinus,
In medio
Aliâ serico opertâ Trevir.
Hîc,
Sacer Antistes quidam incipit sacrum Electorium,
Cantando advocare Sanctum Spiritum,
In PP. EE
Charisma suum diffundere promtum;
Cujus numine ac lumine præfulgentes,
Demum idonei,
Hominem, justum, bonum, utilem,
Eligendi,
Imperaturum ex præscripto Pacis & Capitulationis Imperio,
Mox alterum facit sacrum consimili de Sp. S. cantu,
Solis Romanis EE. sacrum ac celebre
Reliquis profanum quasi, nec audiendum;

Secedentibus interea conclave in ceterum,
Magis aptum piumq; videtur,
D.O.M.
Imperij conditorem ac conservatorem,
Suis precari ritibus, ore ac pectore,
Ut idoneum Imperio, idoneum Paci, idoneum Christiano orbi,
Duit Imperatorem:
III.
Sacro utrorumque peracto,
PP EE. ad sessionem, inde ad altare congressis,
Codice Evangelico ibidem prolato
Moguntinus Elector,
Primus ubiq; honore ac labore,
Ex dextro altaris stans latere
Hanc primam ad coelectores Electoriam relationem,
Incipit.
Serenissime Rex Bohemiæ, ceteriq; Coelectores,
Accito Spiritus S. auxilio in consilium
Præsentis Electionis,
Tradito captandæ juramento A. B.
Se primum,
Præeunte Trevero, Coelectore ac fratre suo dilectissimo,
Iusjurandum more solenni præstiturum;
Post,
Se præeunte,
Regiam Bohemiæ dignitatem, ceterosq; dilectos coelectores.
Qui eâdem certant pietâte,
Iuratoros,
His conceptis verbis.
Ego,
IOANNES PHILIPPUS,
DEI providentia,
S. Moguntinæ Sedis Archiepiscopus,
S.R.I. per Germaniam ArchiCancellarius,
Princeps Elector,
SS. Evangelij codice coràm,

Pectore palmis prensato meis
Ad quæ & per quem,
Iuro,
Me,
Quantum mihi sit rationis opisq; divinæ,
Eâ fide,
Quâ Deo, S.R.I. obstrictum me propalàm profiteor,
Electurum
Seculare Christiano populo Caput,
Hoc est,
Regem Romanum statim Imperatorem,
Idoneum, aptumq;,
Meo prorsus libero suffragio,
Nec prece nec prælio, nec alijs emendicato blanditijs,
Ita me DEUS, sanctum Evangelium suum juvent.
Idem,
Deferente Moguntino
Trevir, Coloniensis, Bohemiæ Rex, Bavarus,
Saxo, Brandenburgicus, Palatinus,
Ordine quisque suo,
Ijsdem Referunt verbis,
Modo parumper dispari.
Sacri saltim Evangelio coram; seculares eodem etiam tacto manibus.
Modo jurandi in jure recepto,
Civili, feudali, Camerali, Vulgari;
Romani
Ad, vel per Evangelium, & Sanctos;
Protestantes,
Per solum DEUM.
Hujus jurisjurandi Electorii,
Quod publico innititur favore bonoq;
Mutuam sibi facere non possunt gratiam,
IV.
Cunctis EE. jurejurandi religione ligatis.
Moguntinus Elector,
Duos, vulgò dictos, Notarios

Qui plerunq; ipsi sunt à secretis,
Hâc alterâ in Senatu relatione adesse jussos
Sic alloquitur.
Auditum vobis solenne jus jurandum Electorium;
Quod ipse prior, regia Bohemiæ dignitas, ceteriq; coëlectores præcipui mei,
Legative absentium
Principio Electionis solito præstavimus more, ore.
Hoc vos,
Ad futuram rei memoriam, publicum ritè facti signum,
Ex vestri fide muneris,
Publicis Imperii actis rectè & ordine mandandum rogo:
Inde,
Præsentibus Principibus, Comitibus, Equestribus,
Rogatis signata & obsignata testibus,
Descripta Instrumenta Collegio tradenda Electorali,
Opus quoties.
V.
Hâc testificatione editâ,
PP.EE.
Sumtis secum binis quisq; Consiliariis,
Cancellarium ultra Moguntinum dictosq; Notarios,
Solito sacrarium ingrediuntur ordine Electorium,
Ubi,
Portâ clusa, veloq; obducto,
Moguntinus Elector
Domini, infit, præcipui mei, mihiq; amicissimi.
Juramento ritè testato, ipsa jam instat Electio libera.
Cui si qua sint obstantia, statim edicatis in limine velim,
Ne non inoffensus deinde sit Electionis cursus.
Negantibus esse;
Pergit;
Quod felix faustumq; sit Imperio, Orbiq; Christiano utile,
Cæptandum propitio Numine negotium Electorium.
Et,
Recenti adhuc apud vos memoria pactorum,
Prævia conventorum consultatione,

 De

Describenda Eligendo juranda, jurata servanda Capitulatione,
Asserenda pro Electo suffragiorum prærogativa majorum:
Communi prorsus consensu habito Imperatore,
Nil morantes, quas Deus avertat,
Dispares fortè voces, sententias,
Vestrum, Coelectores erit,
Aureæ in hoc Bullæ & Senatus consulto parere,
Publicis coram Notariis istis,
Stipulatâ idem invicem manu spondere:
Majoribus verò electi votis primum opus est
Statim
In capitulationis pacta jurare,
Præcipuum votum
Singula quæq; ejus momenta sanctè servare,
Ipso præstare facto,
Uti jus & fas est.
Stipulatò annuentibus illis,
Moguntinus,
Versa ad Notarios oratione
Testatam Regiæ dignitatis, ceterorumq; EE. stipulationem,
Uti eam rectè beneq; percepistis præsentes & audientes,
Actis inserendam, idoneis signatam testibus,
Curate quæso,
Narrandam inde & tradendam posteritati ejus rei notitiam,
Quoties cunq; requisitam
His actis,
Et una
Consiliariis, Notariis, sacrario eliminatis,
Cœptatur Electio solis ab Electoribus.

VI.

Isto nunc die Electores sunt Electores,
Hoc est,
Electionarii,
Præcipuè
Universim Electo IDONEO,
Uno non pluribus:
Duobus imperantibus obtemperat nemo.

Ægrum nisi invalido Imperatore imperium
Destinati participatione alterius roborandum.
Sic olim assumti consortes imperii,
Qui utilitates omnium junctis exsequebantur consiliis,
Ne unus Reipublicæ molem solitariâ perferret cogitatione;
Astra ipsa cœli mutuo reguntur auxilio,
Vicario labore participata mundum suis luminibus administrant.
Ipsi quoq; homini divina tribuerunt
Duplices manus, socias aures, oculos geminos,
Ut robustius perageretur officium duorum societate complendum:
In tractatibus duo, in sententiis unus esse videatur.
Tanquam in duobus luminibus unus sit aspectus.
Et concordem sensum nemo credat segregatum.
Mare, non feminâ.
Feminarum animi magis imbecilli;
Fæminam libero imperio præsidere, moribus Germanorum insolitum,
Feminæ imperio subdi, ignominiosum;
Dominæ inhoneste tolerantur,
Nec sine sæpè exitio regni,
Noto, minus pudico, versu,
Cum regnant vulvæ, clamat gens tota simul væ,
Interitus regni est à muliére regi
Germano, non albinato:
Nisi Germanis extra Germaniam nato parentibus.
Olim Friderico II. Carolo V. Ferdinando I.
Ottonis III., non Caroli IV. constituto,
Nusquam ibi unam intra gentem coercita Electio;
Plurimis visa quacunq; ex natione melior, liberior.
An Senatus Germani Imperii
Provincias, socios transmissurus uni,
Successorem ex sinu uxoris accipiat?
Summæ potestatis hæredem tantum unam intra domum quærat?
Principem civibus, non servis Dominum, daturus,
Nonnè per totum Orbem circumferat oculos,
Hunc Germanum, hunc conjunctissimum existimet,
Quem optimum, quem Deo simillimum invenerit?

Seculari,

Seculari, non ecclesiastico,
Cujus est traditionem custodire ecclesiasticam,
Ecclesiasticis vivere instituta tis,
Sanctis obedire moribus,
Non secularibus occupari negotiis,
Nec forensibus profanari litibus.
Pro non atheo;
Deum colenti omnia prosperè eveniunt.
Pietas regna firmat.
Nihil magnifacit, qui Deum & religionem contemnit.
Qui bruto contumax fastidiô,
Cultum superni negligit Numinis:
Imperatoris impietas morborum in Imperio maximus,
Nec mœnibus, nec manibus tuta.
Vero Christiano, non pagano, nec hæretico.
Quia temporale Christiani populi caput cluit:
Quia Salutem Christiani populi tuetur.
Quod nec cluit nec curat
Pago deditus, Christianæ notitia religionis destitutus,
Nec Christi militiæ adscriptus,
Deorum cultor falsorum.
Nec,
Qui scissus à Christianæ unionis corpore,
Diiusus in varias religionis formas,
Quive sectam quandam colit:
Tortis politus erroribus:
Quive nihil, quive malè sentit de Deo,
Scismaticus, profanus, Hæreticus.
Utrumq; optimè
Christianis Protestantium sacris purè initiatus.
Qui sicut eligere, ita eligi potest.
Habilis ad unum, non inhabilis ad alterum.
Censura erga talem ecclesiastica tota suspensa,
Ex Pacis præscripto religiosæ.
Parente, non Tyranno,
Miti in cives animo, ad instar patris in liberos,

Qui indolet, cum quem severius edolet,
Qui tarde sibi abscindit membrum, & in abscindendo gemit.
Qui tutor est status publici,
Qui civium, ut pater liberorum, curat salutem:
A cujus salute, veluti filo, pendet status rerum orbis.
Cujus imperium nihil est aliud nisi cura salutis alienæ
Hadriani dicto,
Se sic gesturum principatum
Ut sciat populi rem esse non suam privatam
Princeps est Reipublicæ, Respublica Tyranni.
Qui malis consultis & sævitiâ & animum suum & regnum dilacerat,
Cives imperii
Tributis nimiis & muneribus, oneribus, injuriis, metallis, & ceteris servientium pœnis,
Quasi domiti, ut serviant, non tantùm ut pareant.
Expulsis ab eodem pietatis justitiæ, Sapientiæ professoribus,
Et omni bonâ arte in exilium actâ,
Ne quid usquam honestum occurrat.
Ademto per inquisitiones etiam loquendi audiendiq; commercio,
Imposito Servitutis ultimo,
Imperata religione, coactis, ut credant inviti.
Civibus imperii modo ludibrio, modo dolori retentis,
Tyrannidis infelix regnum,
Quo non libet scire quid simus, nec libet exercere, quod sumus.
Justo, non iniquo
Omnes quidem justitiam colere & observare decet,
Sed eos maxime, qui divinis honoribus eriguntur.
Imperatoris est, provincias armis defendere, & legibus ordinare.
Servandæ justitiæ caussa olim benè morati Reges constituti.
Themide Virgine,
Ab iniquis leguleis, avaris causarum patronis,
Ignaris æqui boniq; judicibus, in audiendo impatientibus,
Nunc constupratâ,
Juris sit hodie religiosissimus Imperator,
Qui oppressis non negat judicium,
Nec irrationalibus querelis præbet assensum.

Qui legum peritos, patientes, innocentes, benignos ordinat judices.
Quos nil vile, nil cupidum decet.
Qui alterius non sunt voluntatis ministri.
Qui nec invidia quenquam deprimunt, nec gratiâ blandiente sublimant.
Quiq; in immensum non trahi sinit litigia, finita maxime,
Statutis legitimis decisa, nec aliqua appellatione suspensa.
Quæ dabitur discordantibus pax, si nec legitimis acquiescit sententiis?
Vnus inter procellas humanas portus instructus est.
Hunc si sinit fervidâ homines voluntate prœterire,
In undosis jurgiis semper errabunt.
Et jam in ijs fere natant Germani.
Qui deniq; non tam delicta vult punire, quâm tollere.
Ne aut acriter vindicando æstimetur nimius,
Aut leviter agendo putetur improvidus.
Contrà,
Nihil tam inimicum imperio, quàm injustitia:
Remota justitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia?
Inter injustè imperantem & malè parentem populum,
Ægra sunt omnia & discordantia:
Quilibet compendiis delectatur injustis.
Fortis ab ignavo superatur; bonum prosternit inferior.
Iusto Iustitia non prodest.
Pudicis ac sobriis impudicus ac dissolutus in honoris petitione præfertur.
Iacent strenui, laudantur improbi, valent valentiores.
Prudente, non demente.
Prudentia imperantis propria virtus.
Carolus M. maluit rerum divinarum humanarumq; scientiâ,
Quàm præminere potentiâ.
Quia, quam potentia, melius tuetur imperium prudentia.
In electione *Rudolphi I.*
Suffragio Moguntini Werneri,
Sapientia ac strenuitas, potentiæ & opibus prælata.
Voto Friderici Sapientis Saxoniæ E.
In legendo Imp. potior habita ratio virtutum imperialium,

quem

Quàm familiæ potentioris.
Calculo Treveri E.
Francisci I. prudentia Electoribus commendata.
Duriori Alphonsi Regis Neapolitani I. effato,
Princeps illiteratus est asinus coronatus.
Qui alieno ore, oculo, aure,
Fatur, videt, audit.
Verè fatuus, parùm perspicax, multùm ignarus;
Stolidus, minus solidus.
Interea,
Rudolphi I. verbo
Qui regnare nesciunt stultos putamus,
Se vero stultum judicat nemo.
Communiter
Sua cuiq; nocet Stultitia, publicæ rei Regis.
Mox
Wenceslaus iners, imperii expers.
Neq; vero Alphonsi dictum universim verum est.
Justinus I. literarum rudis,
Turbatum ab Anastasio composuit imperium.
Theudericbus Ostrogothus,
Qui ne prima quidem elementa literarum novit,
Res Gothicas ad summum gloriæ fastigium extulit.
Theodahatus verò,
Vir literatus & philosophiæ Græcæ studiis excúltus,
Easdem de summo fastigio in præceps jecit.
Adjuvatur à literis prudentia civilis & militaris,
Et harum utrumq; sine literarum auxilio consistere potest.
Magnanimo, non pusillanimo.
Quem etiam adversa Magnum probant.
Præclara est æquabilitas in omni vita, idem semper vultus, eadem frons.
Constantes fuere in utraq; fortuna Carolus M. M. Antoninus.
Necessaria imperantibus virtus,
Quæ in contemnendis versatur periculis.

Qui non tam præmiis periculorum, quàm ipsis periculis læti.

Pusillanimus semper pavidus;

Omnia tuta timet.

Pavida consilia in incerto:

Vita ad strepitum folii trepida;

Metuenti omnia præsentia maximè displicent.

Meticulosior monacho Rex, cubiculo quam sceptro melior.

Ignavus Licinius Galienus, desidiosus Phocas rem perdiderunt publicam

Principe, vel Comite

Olim ferè nulli non Reges ex servis, nulli non servi ex Regibus.

Justinus Thrax armentarii filius,

Primò subulcus, deinde bubulcus, post lignarii servus,

Inde miles, tandem Imperator.

Germania tot principibus decora principe splendat Imperatore,

Vel ex comitibus olim sumto

Wilhelmo comite Hollandiæ, Rudolpho comite Habspurgico, Adolpho comite Nassavio,

Gunthero comite Svartzenburgico.

Ætate quacunq;

Imperatoria in A.B. nulla definita finita Electoria.

Quasi majus eligere, eligi verò liberius sit.

Jure communi non honorantur XXV. annis minores,

Secus publico usu.

Otto III. puerili, Heinricus III. duodecimo, Heinric. IV. octavo

Fridericus II. & Wilhelmus, vigesimo, Wenceslaus quindecimo,

Carolus V. undevigesimo,

Ferdinandus III. vigesimo sexto,

Ferdinandus IV. vigesimo anno

Non in homine ætas, sed virtus spectanda est.

Non cani, non rugæ auctoritatem adferunt.

Sed rectè acta ætas auctoritatis fructus præbet extremos.

Maturioribus ac melioribus annis

Ludovicus V. XXX. Carolus IV. XXXI. Maximilianus II. XXXVI.

Matthias I. LV. Ferdinandus II. XLI.

Potente, non imbelli

Qui,

Qui, quod velle creditur, posse judicatur.
Potentia efficit Imperatorem fortiorem, formidolosiorem,
Qui sustinere potest adversum quemcunque.
Quanquam nec ex metu, nec terrore hominum majestatis reverentia acquirenda.
Ignavus & imbellis contemnitur Princeps
Nec ignavia & imbecillitate magna continentur Imperia.
Paucis,
Electus Idoneus par est
Pietate Constantino M. Theodosio, Carolo V.
Illi in bello pugnarunt acrius erando, quàm feriendo.
Iste in eodem sæpius cum DEO, quàm cum hominibus locutus.
Justitiâ, Augusto, Ottoni III.
Ille jus assiduus dixit,
Hic impudicum uxoris ignem igne purgavit.
Studio in Rempublicam eidem Theodosio,
Quo de Poeta
Tu civem patremque geris; tu consule cunctis,
Nec tibi, nec tua te moveant, sed publica vota.
Fortitudine Carolo Magno,
Qui confecit plures, quàm Hercules hydras, hostes.
Facilitate admissionum Rudolpho I.
Qui noluit in arca includi, nec per tot obstantia limina adiri.
Liberalitate Ptolomæo Regi Ægypti,
Qui regium magis censuit ditare, quam ditescere.
Temperantiâ Augusto, Trajano, Carolo M.
Hi aulis in suis habebant
Virtutum custodiam temperantiam, apertam,
Vitiorum januam ebrietatem clausam.
Injuriarum denique oblivione Julio Cæsari,
Qui, quàm ex injuria obliterata, beneficio pensata,
Majorem ex re capit voluptatem nullâ.
VII.
Tali tandem electo,
Libero suffragij jure
Nil dato, nil accepto, nil promisso;

 Secus,

Secus,
Dans ex lege Julia ambitus,
Accipiens paciscensvè amittendi suffragii reus,
Electio nulla.
Vel unus ubi quid accepit solus,
Nec ab eligendo, sed alio ejus vice, ejus ignaro.
Durum,
Vnius ut culpa noceat ceteris,
Vt per inutile vitietur utile.
Voto certo, ore prolato, non literis signato.
Nullâ implicato conditione.
Electio est actus legitimus, qui nec diem recipit nec conditionem.
Ordine suffragandi in A. B. tradito,
Semper observato, alibi jam relato.
Scrutinio suffragij publico, non secreto
Jure posterius Canonico, modo ferè tutiori, & in Electione Nassovij solito
At,
Usu prius communi obtinuit,
In Electione Caroli V. Maxim. II. Ferdin. II.
Collegiatim, non separatim, diversis in locis,
Ut facta olim Ludovici Bavari Electio
Peculiaria diversis in locis lata suffragia, invalida.
Majori PP. EE. electus numero,
Legitimus statim Imperator censendus velut electus ab omnibus;
Quin etiam electus ab discordantibus,
Prudenti Ludovici Bavari constituto.
Sic civili quoque jure,
In actibus collegij vota majora, non saniora requiruntur;
Nemo non censetur sanè simul censuisse de Eligendo.
Saniora sola & Electioni, & Imperio minus sana,
Turbis obnoxia & contentionibus;
Nec citra Electi ruborem, rejecti injuriam,
Notam quasi censoriam.
Paribus duo Electi sententijs,
Exitiali planè Imperio *more olim fero*, ferro cernebant Imperium,

Lu-

Otto IV. & Philippus Friderici I. filius.
Ludovicus Bavarus & Fridericus Austriacus.
Minus licito duello,
In quo uterque potest cadere.
Nec permittendâ utriusque administratione,
Papa donec alterutrum probet,
Improbo prorsus jure Papæ, improbâ EE. Electione.
Quin,
Electio non à majori facta numero, ipso jure nulla est.
Quartus à tribus electus suo auget numerum suffragio.
Nec aliter quondam Palatinus Rupertus suæ consensit Electioni
Suum sibi ab initio ferre suffragium, ambitiosum.
Ille de eligendo Papa rogatus sententiam,
Rogavit chlamydem Papæ dandam;
Datam imposuit sibi, & dixit,
Ego Ioannes XXII. Papa sum.
IIX.
PP. EE. suffragia,
His ritibus, hoc juramento, isto ordine, hac libertate, ea trutina,
Religiosè
Initiata, rogata, lata, collata, & expensa,
Majora pro Electo collecta, rata unanimiter habita,
E. Moguntinus aperit.
Aperit unâ conclave Consiliariis ac Notariis.
Quîs coram infit.
Suffragia unanimi EE. ore ac pectore collata
In N. N.
Quem ex omnibus à se quoque repertum idoneum & Imperio utilem,
Suo Electum suffragio,
Nunc, ut tunc, tunc ut nunc,
Et à se, & ab uno EE. quolibet, unanimiter haberi Electum,
Omni modo meliori.
Eandemque cunctis iterum sententiam rogatis EE.
Cunctisque eandemque asseverantibus,
Asseveratam instrumento inserendam publico publicis requisitum Notariis.
Qui,

Præsen-

Præsentibus ascitis in rei fidem testibus,
Electorias actutim conficiunt tabulas.

IX.

Hîc nunc incipiunt expedire suas
Electo Electores absenti nunationes, præsenti acclamationes,
Lætas, festivas, faustas,
Oratore Moguntino
Electoralia Electo offerre officia sua, curas, sollicitudines Imperii,
Promtas, constantes, fideles.
Electi spes fateri ratas,
Futuri,
Præsente DEO favore,
Imperatoris justi, boni, utilis,
Imperio, Imperii civibus, omnibus.
Seque ipsum idem velle,
Noneque cælitus optare Imperatori,
Imperium felix, lætum, longum, pacificum.
Communi post Coelectorum instituto,
Omnibus in conclavi coram,
Moguntinus,
Electum publica nuncupat voce Imperatorem,
Hunc in modum.
Nos,
IOANNES PHILIPPVS,
S. Moguntinæ Sedis Archiepiscopus,
Princeps Elector,
Electorali munitus potestate,
In Honorem
D. O. M. Imperii nostri conservatoris,
In Salutem
S. R. I. Populi Christiani, actuumque Electoriorum,
Mandato
Eminentissimorum, Serenissimorum PP. coelectorum,
Præcipuo verò nomine,
SS. & adorandæ Trinitatis,
Nominamus, eligimus, renunciamus,

Serenissimum, Potentissimum Principem ac Dominum,
Dominum NN.
In quem Nos,
Vnanimi consensu, vota, voces, suffragia nostra contulimus,
Regem Romanum confestim Imperatorem,
Idoneum
S.R.I. Christianique populi,
Præsidem ac custodem,
S. Catholicæ Ecclesiæ,
Defensorem.
Quem ipsum nunc eâ, qua pollemus, autoritate renunciamus,
Romanorum Regem,
Hocque Electorali talem publicamus diplomate,
Omni meliori, solenni, optimoque modo ac more:
Vnaque requirimus,
Hujus renunciationis publicæ, actuumque reliquorum electoriorum,
Solennes à Notariis istis tabulas,
Allectis in rei memoriam, veritatis firmitudinem testibus,
Ritè obsignatas.

X.

Ulterius,
(Redit enim labor omnis in Moguntinum)
Nomine coelectorum,
Electus à Moguntino rogatus,
Ut dignetur imperium, imperiique simul pactas subire conditiones,
Hâc quidem juratâ fide,
Ipsi Moguntino datâ roganti.
Nos,
Electus Romanorum Imperator,
Sicut rectè ac penitus singula capitulationis percepimus,
Accepimus, & servanda promissimus,
Eadem nunc sanctè custodienda juratò promittimus,
Reliqua simul omnia rectè & ex Imperii utilitate curanda,
Quæ oportet, quæque decent Romanorum Regem,
Ita nos DEVS & SS. juvet Evangelium.

Dicto

Dicto juramento Imperatorio,
Ipse Imperator ab Electoribus ordine ductus ad altare decoro,
Et super ipsum collocatus,
Sanctissimum audit concentum,
Et solenne carmen,
TE DEUM LAUDAMUS.
Hoc decantato,
Idem Imperator ab Electoribus sublatus de altari,
In locum ductus editiorem, interioris templi pergulam,
Repræsentatur monstratus omnibus.
Jussu Moguntini E.
Voce primoris Moguntiaci præsulis,
Idem ille
Cœtu coram universo,
Renunciatur, publicatur, proclamatur,
His conceptis verbis.
Eminentissimi, Serenissimi Principes Electores,
Domini mei Clementissimi,
Cæterique absentium legati excellentissimi,
Sede Imperii ab excessu p.m. Ferdinandi III. vacante,
Ex religioso Aureæ Bullæ præscripto,
Aliud Romani Imperii, Christiani populi caput,
Circumspexerunt,
Et DEO F.O.M. bene eorum consilium vertente,
Cujus ope ac nomine illud cæptum & captum,
Et cujus in gloriam, Imperii salutem, Christianorum incrementum,
Totum finiendum,
Unanimi prorsus consensu,
Romanorum elegerunt Regem,
Invictissimum, præpotentissimum, Principem ac Dominum,
Dominum NN.
Dominum nostrum Clementissimum.
Hanc fecialis ego sanctissimus Sanctissimam Electionem,
Nunc singulis & universis denuncio,
Hunc ipsum Electum Romanorum Imperatorem,
Ab omnibus reputandum, habendum, honorandum,

Vi sua quemque pietas jubet
Iubeo.

XI.

His ritè peractis,
Imperatoria inde Majestas digreditur domum,
Splendido Electorum circundata comitatu;
Eadem publica est absentis Electi renunciatio,
Ut olim Caroli V.
Sed &,
Expeditâ legatione
Ritè notescit Electio illius in proximo legatis;
Unâ rogatis autoritatem Domini allatam,
Electionem acceptandi, in pacta jurandi,
Adventuri interea nomine Domini,
Illam allegantibus potestatem, & Francofurtum adventantibus,
Tale præitur exprimendum ipsis juramentum.

Nos,
Longe Potentissimi ac Serenissimi Principis ac Domini.
Domini NN. Electi Romanor. Imperatoris,
Legati plena potestate muniti,
Eodemque nunc nixi,
Iuramus
Nomine Domini nostri & in ejus animam,
Coram omniscio DEO & sanctis suis ministeriis,
Dominum nostrum, Electum Imperatorem,
Modò nobis tradita, & vobis reddita singula ritè cognita
Pactorum utrinque conventorum,
Firmiter servaturum, observaturum,
Nihil contra cogitaturum, suscepturum, acturum.
Ita suam Cæsar. Majestatem, & nos ipsos Deus sanctique juvent.

Præstito hoc jurejurando
Tradita legatis
Decretum Electionis, & ad Electur[illegible]ræ,
Hunc compositæ in modum,
Serenissime ac Clementissime Domine,
Nos,

S.R.I. Principes columnæ, ac præcipui Senatores,
Ex imperij legibus,
Vestram dignitatem regiam elegimus ac constituimus majestatem Imperatoriam;
Tenore decreti electorij rite confecti, & legatis V.M. traditi,
De tantæ dignitatis fastigio,
Lætitiam, ac gratulationem ore ac corde coràm ferimus;
Vota;
Pro vestri regiminis felicitate, incolumitate, diuturnitate;
Nuncupamus ovantes, & solvimus.
Ea omnium spe,
Hanc Electionem divinitus versum iri,
In V. Majestatis, Romani Imperii, Christiani populi,
Gloriam, securitatem, Pacem.
Utque, uti fas est,
Ex lege A.B. reliqua electionis ritè peractæ ritè quoque fiant & finiantur.
Placeat Vestræ Cæs. Majestati,
Quamprimum hìc adesse ac providere providendis.
Hanc animi lubentiam Imperatoriu,
Submisso nos animo gratoque sumus agnituri.
Valeat, vivat vestra Majestas Imperatoria,
Nobisque ac Imperio faveat.

XII.

Electionis asseclæ duæ:
Una
Electorum ac statuum Imperii jura prisca novis firmare literis Imperatoriis,
Quæ res nunc nostræ non est operæ.
Altera
Testatiorem signare electionem publica inauguratione,
Cujus eligere diem solius est electi.
Nec non Aquisgrano, Noribergâ Francofurtum aut aliò jubere referre,
Insignia imperatoria,
Gladium, Amictum sceptrum, pomum aureum, coronam.
Non inolitam illam Lombardicam Mediolani habitam;
Sive ferream sive argenteam sive auream:

Nec

Nec superfluam ac sumptuosam Romanam Romæ custoditam
Heu quanto quoties sangvine tinctam!
Non ab Aureâ requisitam Bulla,
Constituto inductam Ludovici IV. Bavari.
Et multis non usurpatam Imperatoribus,
Nec
Cunradis I. II. Rudolphis I. II. Albertis I. II. Maximilianis I. II.
Matthiæ. Ferdinandis I. II. III. IV.
Nec,
Ante hos, Constantinopolitanis;
Nec,
Ante Constantinopolitanos, Gentilibus,
Veris Imperatoribus omnibus.
Verum
Solam & unicam illam Germanicam,
Fundatam,
Aureæ Bullæ lege, laudata consvetudinis antiquitate;
Hæc ut decenter fiat consecratio;
Prima Senatus Francofurtensis aut alterius, cura est,
Prospiciendi commodis in æde D. B. orchestris.
Altera Moguntini,
Acciendi in tempore sacrum & unctum Antistitem.
Tertia Electorum sacrorum,
Quorum præcipuum est sacrare Imperatorem:
At uni ex tribus soli solitum.
Olim
Moguntini in Maxim. II. Rudolphi II. Matthiæ solennibus.
Nuper & in Ferdinandi IV.
Ad quem præcipuus Electionis labor, ad eundem quoq; præcipuus spectat ejusdem honor.
Nunc vero,
Vicibus ipsum inter & Coloniensem statur coronandi alternis,
Extra utriusq; diœcesin.
Quilibet sua semper in diœcesi.
Consecrationis Locus olim Aquisgranum,
Inauguratione Caroli V. insigne solenni.

Post Francofurtum,
Eâdem Ferdinandi I.II.Maximiliani II.Matthiæ I.celebre.
Deniq; Ratisbona.
Eâdem Rudolphi II.Ferdinandi III.IV.honora.
Consecrationis ministeria sunt,
Diaconus, Levita, duo prælati,
Custodes Mitræ, pedi Archiepiscopi sacrantis,
Sacrantem quoq; adjuvant unum duo reliqui EE.sacri.
Tres maturo consecrationis mane,
Accitis una Noribergensium & Aquisgranens.legatis,
Imperialium custodibus insignium,
Præsto sunt in æde D.B.,
Electorales induti amictus;
Post,
His exutis, sumtisq; Pontificalibus,
Expectant
Cæsar. Majestatem, ceterosq; coelectores seculares;
Electoralibus conspicui tunicis talaribus,
Individui Cæsar.Majestatis Comites,
Imperatori propè ædis portam statim obvii.
Tres Electores sacri, Antistites alii,
Diaconus, Levita, Evangelii, thuribuli gestatores.
Sacratori pontificalia induto,
Præfertur
Crux, pedum regiis præfulgens insignibus.
Imperatori ædem ingresso,
Sacrator,
Solennes effusus in preces,
Exorat
Adjutorium Domini famulo suo.
Idem mox,
Iisdem ministris ac sacrificali apparatu,
Accedit ad altare,
Eô simul duos inter sacros Imperator Electores,
Et ante eum seculares cum imperii insignibus,
Quibus ibidem depositis,

Sessum ordine quisq; eunt suo.
Cæpto interea concentu carminis hujus,
Ecce mitto Angelum.
Hoc finito,
Consecrator
Sacrandum altari propiorem, ac procumbentem,
Hâc beat precatione,
Domine salvum fac Regem &c.
Acceptâ hac Dei benignitate,
Imperator,
A duobus illis Ecclesiasticis altari seorsum ducitur sessum,
Ipse
Sellâ sursum deorsum opertâ tapetis,
Suas & ipsi occupant sedes.
Interea,
Sacratore sacra cæptante solennia
Solitâ voce,
Confiteor &c.
Seculares paululum secedunt, accedunt rursus,
Obeundis muneribus suis;
Morati ibidem *ad Missæ usq; Canonem,*
Hinc iterum recedunt *ad Agnum Dei usq;,*
Initium sacri solennis commune Regum illud est,
Ecce advenit Dominator Dominus,
Cetera sequuntur precum, cantuum.
His actis,
Depositâ priori Imperator togâ sistitur Altari,
Procumbentibus cunctis,
Legitur Litania, versum ad illum usq:,
Vt nos exaudire digneris.
Hic Sacrator erectus in pedes orat cum baculo:
Vt hunc famulum tuum in Regem eligere digneris, &c.
Respondentibus ceteris,
Te rogamus.
Mox reliquum pellegitur Litaniæ.
Pòst,

Imperatore,

Imperatore, & qui circa eum, surgentibus,
Sacrator, ornatus mitra pedoq; armatus,
Imperatorem disertis alloquitur interrogationibus,
Vis
Sanctam fidem, Ecclesiam, regnum tibi, regni jura &c. omnibus justitiam.
Servare, tueri, regere, administrare,
Rex, *Volo*, respondet:
Propior tum Altare,
Jurejurando rogata, & responsa firmat isto,
Volo & voluero,
In quantum divino fultus fuero adjutorio,
Et,
Precibus fidelium Christianorum adjutus,
Quantum valuero
Promissa fideliter adimplebo,
Sic me Deus adjuvet, & Sanctum Dei Evangelium.
His juratis,
Inaugurator ad Electores conversus Principes, ceterosq; præsentes,
Vultis
Tali Principi ac Rectori vos subjicere,
Ipsiusq; Regnum firmare, fide stabilire,
Atq;
Iussionibus ejus obtemperare juxta Apostolum,
Omnis anima
Potestatibus sublimioribus subdita sit,
Sive Regi tanquam præcellenti:
Cunctis, *fiat*, affirmantibus,
Tum,
Imperatore proximum altaris gradum genibus tangente,
Consecrator *hæc benedicta* dicit:
Benedic Domine hunc Regem nostrum N.
DEVS ineffabilis autor mundi.
Nudus tunc caput Imperator ritu Hebræorum RR. ungendus,
A Sacratore, dicente,
Pax tibi,
Eodem sibi respondente,

Et cum spiritu tuo,
Et una *oleo in crucis modum affuso,*
Primò *vertici capitis,* post *palmæ,*
Illi deinde brachii *parti* dextri,
Quæ *inter imam ejus est manum & cubitum,*
His verborum solennibus.
Vngo te in Regem de oleo sanctificato,
In nomine Patris & filii & Spiritus S.
† † †
Sonante concentu,
Vnxerunt Salomonem Zadoch, & Nathan
Palmis Imperatoris oleo sacratis,
Inquit Sacrator,
Vngantur manus istæ de oleo sanctificato, &c.
Isto concentu,
Vnxit te Deus, &c.
Modum delibutus ad istum suis ingreditur comitibus sacrarium,
Abstergendo oleo, accipiendo Noribergâ allato amictui,
Quo conspectior propius altare concedit,
Solennes Sacratoris haurit orationes,
Prospice omnipotens sempiterne Deus, &c.
DEVS qui es justorum gratia:
Hunc simul cantum,
Per omnia secula seculorum.
Recinente Cantorum harmonia,
Gratias agimus Domino Deo nostro.
Residua carminis hujus clara voce profert Consecrator,
Ipsam tandem benedicendi formam,
Deus Dei filius Iesus Christus &c.
Precibus dictis,
Duo illi Electores sacri,
Caroli Magni gladium ab altari sublatum,
Imperatori *porrigunt evaginatum,*
Hâc consecratoris jussione,
Accipe gladium per manus Episcoporum:
Seculares deinde Electores,
Eidem eundem in vaginam reconditum *accingunt,*
 Hoc

Hoc Sacratoris Sermone,

Accingere Gladio tuo.

Tùm,

Annulum ab altari adferunt seculares,

Illo dicente,

Accipe dignitatis annulum

Post,

Sceptrum ac pomum imperii,

Imperatoris *illud* à Sacratore *dextræ, sinistræ isthoc* inditum,

Hoc alloquio,

Accipe virgam virtutis & æquitatis,

Sceptrum ac pomum Imperator Bavaro ac Brandenburgico porrigit EE.

Deniq;

Adfertur *sacrificale* Imperatori *tegumentum,*

Et unâ

Diadema ab altari delatum Imperatoris *imponitur capiti,*

Hoc imponentis augurio,

Accipe coronam Regni.

His ita traditis, tradita simul solennis possessio regni.

Post ista,

Imperator admotus altari propius iisdem ab Electoribus,

Pontificali profert habitu jusjurandum tale;

Profiteor ac promitto coram Deo & sanctis Angelis,

A modo, & deinceps,

Me velle legem & justitiam, pacemq; sanctæ Dei Ecclesiæ servare,

Populo mihi subjecto prodesse,

Iustitiam facere, jura regni tueri &c.

Juramento præstito,

Iisdem Imperator comitibus EE.

Prævijs cum insignium ferculis EE. secularibus,

Sacratore comitatu juxta suo sequente,

Decoro prorsus ordine,

Ducitur,

In altius erectum versus Mænum *tabulatum,*

Attalico opertum ornatu,

Sonante canendi genere,

Desiderium animæ tribuisti ei,

Ibi,

Ab Ecclesiasticis EE. profanis simul præsentibus,
Loco Aquisgranensis à Carolo M. olim insessæ sellæ,
Alia locatur serico tecta,
Quâ Imperator,
Pari ac olim Hebræorum Reges, hodie Rom. Pontifex,
Collocatur,
Hoc sermonis genere,
Ita retine à modo, locum Regni,
Quem non jure hæreditario, nec paterna successione,
Sed principum EE. in regno Alemanniæ,
Tibi noscas delegatum.
Imperatore sic sedente, precibusq; finitis,
Variis canitur modis;
TE DEVM LAVDAMVS.
Tandem,
Nomine EE. Moguntinus incipit gratulationes,
Hanc omnium solennissimam,
Clementissime Domine,
Majestatem vestram ad hoc dignitatis fastigium evectam,
Insignibus armatam & ornatam imperialibus,
Dei provisu, EE. suffragiis,
Tanto nunc accipimus gaudio, quanto antea optavimus desiderio:
M. V. prospera quæq; precantes,
Præcipuè
Regni diuturnitatem, corporis firmitatem, fortunæ stabilitatem:
Sperantes,
Totum hoc, quod à nobis ritè peractum, gratum-lætumq; fore,
Deo, Ecclesiæ, imperio,
Cessurum
In illius laudem, hujus tutelam, istius incrementum.
Commendamus
Nos, Imperium, imperii Ordines, universos, & singulos,
Curæ Majestatis vestræ ac sollicitudini,
Supplices,
Vnanimi præsagientes omine omnes,
M. Vestram,
Benigne omnibus imperaturam, ad Clementissimi normam Domini.

Consecratore cum sacrificali comitatu ad altare regresso,
Imperator moratur in sella,
Donec Caroli M. gladio percussi dignitatem nacti sunt Equestrium auream.
Quo Imperator facto,
Gladium Electori Saxoniæ porrigit præferendum.
Inde,
Ante altare, sellâ suâ sedens ordinariâ, sacrum audit solenne,
Cantu celebrandum Evangelii,
Cum natus esset Iesus &c.
Symboli Apostolici,
Credo in Deum Patrem, Omnipotentem &c.
Hîc,
Imperator aureos quosdam offert, & quasi sacrificat nummos,
Interea dum, Missâ suis missâ cerimoniis, dictum est, *iliceet.*
Tunc,
Positis in sacrario pontificalibus, sumtis Electoralibus,
Sacri Electores reliquiq; Ecclesiastici,
Pergunt ad novum Imperatorem, ceterosq; coëlectores.
Tùm
Aquisgranenses, more supplicum tradito, orant,
Novus ut Imp. suos inter Canonicos recipi,
Eorundem firmari jura
Prævio ne dedignetur juramento.
Et hoc perfecto,
Prævii Electorum Tubicines longo agmine complent omnia cantu:
Aulici properant ad conclave Romanum
Hos sequuntur Principes, hos regii feciales,
Hos Trevir solus,
Hunc Bavarus simul ac Brandenburgicus, Electores,
Hos Saxo solus.
Palatinus ubiq;, *medioq; fori, qua divite dextra,*
Egrediens Princeps sacra trabeatus ab aula,
Divitias vulgo solenni munere donans,
More nivis spargit.
Reliqui EE. seculares manibus insignia gestant imperii:
Hos sequitur Cæsarea Majestas
Aulæo operta, humeris importata Senatus *Francofurtensis,*
Aut ejus loci, ubi sacrata.

Hæc

Hunc penè Moguntinus, Coloniensis, alii Ecclesiastici.
Viæ,
Ab æde consecrationis stratæ asseribus, asseres panno,
Liberalem in prædam rapientium,
Ad Palatium usque Romanum,
Ubi paratæ mensæ;
Una, & reliquis altior, Imperatoris, Romano-Germanici.
Sua Moguntini dextrorsum remotior, huic proxima Bohemia alteri, Bavari,
In medio Treveri à regione Imperatoris:
Sua Coloniensis sinistrorsũ, alia post Saxonis, Brandeburgici alia, alia Palatini.
Omnes aulæo tectæ
Addita sua cuique tabula pocillatoria:
Duæ iterum aliæ longius dissitæ Principum reliquorum.
Aliâ in area alia Noribergens: Aquisgran: Francofurt. Legatorum.
Quamprimum Imperator ingressus est Palatium;
Imperatorium celebratur convivium,
Primis Electorum, horumve vices gerentium, ministeriis;
Archimarschallus Saxo tibicine stipatus & famulis *dilargitur avenam.*
Archi Camerarius Brandenb. equo vectus Imperatori *mantile offert & aquam.*
Archidapiffer Bavarus, prævio cum tubicinibus Saxone *fercula infert.*
Sacris EE. ad Imperatoris tabulam staatibus,
Consecratori *Benedicite* dicenti
Respondent Trevir & Coloniensis.
Post,
Allato ad Imperatorem regiis onusto sigillis argenteo baculo,
Moguntinus inde ablata sigilla Imperatoriæ imponit mensæ,
Reddita sibi, colloque appensa suo toto gestat convivio.
His ita expeditis,
Quilibet Electorum suæ accumbit mensæ;
Absentium vacua, at parara tabula.
Fecialium alii albis, nigro alius baculo,
Singulum antegreditur imperatorium ferculum,
Tubicinibus circum circa strepentibus.
Convivio celebrato;
Electores ad Imperatoris mensam præstò omnes;
Cui porrecto aquæ liquore,
Consecrator *agit DEO gratias.*
Inde

Imperator ceterique Coelectores de fenestra prospectant;
Plebeiorum labores
Circa assati bovis molem, & vini scaturientis fontem,
Convitium dicas, non convivium,
Multâ rixa, & sanguine confectum.
His omnibus finitis,
Valeque decorum sibi invicem dicto,
Ad Aulam quisque recedit suam,
Eâdem, qua venit, itineris securitate.

*

Atque hi sunt Moguntini labores, prævii, Electorii, ipsa Electoralia,
De Eligendo, Electo, Insignito Rom. Imperatore;
Cuncta augustissima angustissimo inscripta stilo,
Paucis clausa verbis sensu ferè infinito,
Solito scribendi more Amalasunthæ;
Nec omnibus grato, nec ingrato omnibus.
Hæc his politiora, quam visa aliis politicotera:
Polita studiò, ne nimium sint invisa partium studiis.
Alius,
Immanem animum subdolâ tegit modestiâ,
Alius,
Dissimulatam in alium iracundiam vultu,
Alius,
Privatum in alium livorem amicâ censurâ,
Ego,
Periculosæ plenum opus aleæ,
Scito hoc orationis velo.
Vela cujus nunc contraho ipsos inter infensorum vel obnoxiorum fluctus;
Me naufragio primum exemturus beneficio Favonii,
Onere deinde scribendi, alios censendi, invidendi, alios:
Interea futurus,
Pacis custodibus, Regibus, Electoribus, lectoribus,
Magnatibus horumque legatis,
Quorum alius illa minus quanquam pro se, suo tamen favore,
Alius alio in me studio, alius meliore pensavit modo,
Perpetuò obnoxius omnibus,
Hæc ipsa non ingrata habentibus.

F I N I S.

1. Pax pax polono-suecica Olivae d. 3 Maji 1660
2 pax Germano-suecica Monasterii Westphalor. 24 pace 1648.
3 pannonia perorata etc p Joh: Wolff 1652
4 De sacra corona regni Hungariae ortu etc Petri de Reva 1652